

DE CONSERVANDA

Ruta. Secundum, Ruta, de qua Diosco. lib. 3. cap. 43.

Ruta letalium medicamentorum antidotum est, si semen ex uino acetabuli mensura ebibatur. Folia per se præsumpta, aut cum nucẽ iuglande, aridisq; ficis, inefficaces uenenorum uires reddunt: contra serpentes simili modo sumere conuenit. Eadem repetit Auicenn. Tractatu 2. capite 578. Aristoteles libro 9. capite. 6. de historia animalium, tradit mustelam dimittaturam cum serpente, rutam comedere, odor enim eius infestus serpentibus est. Ruta quoq; cum ficibus & amygdalis dulcibus mane sumpta, à ueneno præseruat. Ruta porro duplex est: quædam enim satiuæ & domestica, quædam uerò montana & syluestris. Domestica & syluestris melior est: quia syluestris calida & sicca est in quarto ordine, quare in cibis damnatur. Domestica, calida in secundo, sicca in tertio. Crassos lentosq; humores digerit atq; incidit, flatusq; resoluit & extinguit. Serapion cap. 290. de simplicis. Ruta est de rebus magis conferentibus inflationibus, id est, uentositatibus, sed in humida est inflatio. Ruta item uehementer uisum acuit, & propriè succus eius, cum succo foeniculi & melle factò collyrio, ant comesta, ut dicit Auic. loco citato. At quia in succo eius quædam est acrimonia oculis infesta, uenilando applicari debet, ut uapor tantum & substantia eius oculos pertingat.

Pyra. Tertium, pyra, de quibus Auicenna 2. Can. Tract. 2. cap. 550. dicit, quòd sint cura fungorum mortificantium.